



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

14. Ratio Justitiæ &c. In secundis verò perpetuis futuris temporibus locus  
Consultoris Sac. Rituum Congregationis uni ex Professoribus ejusdem  
Ordinis decernitur, & ordinatur.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



salubrique Conciliis edicis, vel edendis speciali-  
bus, vel Generalibus Constitutionibus, & Or-  
dinationibus, Privilegiis, quoque, Indultis, & Litte-  
ris Apostolicis eidem Monasterio, ac quibusvis  
aliis Superioribus, & personis in genere, vel in  
specie, aut alias in contrarium præmissorum for-  
san quomodolibet concessis, confirmatis, & ap-  
probatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si  
pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis,  
eorumque totis tenoribus, specialis, specifica,  
expressa, & individua, ac de verbo ad verbum,  
non autem per clausulas generales idem impor-  
tantes mentio, seu quavis alia expressio habenda,  
aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda  
foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad ver-  
bum nihil penitus omisso, & forma in illis tra-  
dita observata inserti forent, præsentibus pro ple-  
nè, & sufficienter expressis habentes, illis aliis  
in suo robore permanentis latissimè, & plenissi-  
mè, ac specialiter, & expressè, nec non oppor-  
tunè, & validè, hac vice dumtaxat motu simili  
teque scientia, & potestatis plenitudine paribus  
derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.  
Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pis-  
catoris die 3. Augusti 1726. Pontificatus Nostri  
Anno Tertio.

P. Cardinalis Prodaturus.

I. B. Archiep. Nisiben. Subdaturus.

A. Magister Brevium.

Loco † Sigilli.

O. de Carconiis.

D. 3. Aug.  
1726. P. A.  
tertio.

XIII. Binæ Apostolicæ Litteræ in forma Bre-  
vis expeditæ.

In quarum primis ejusdem Constitutio : *Paterna  
Sedis Apostolica providentia* pro Tertiariis Or-  
dinis S. Francisci anno 1725. quarto Idus De-  
cembris emanata ad Tertiarias Ordinis Ser-  
vorum B. M. V. extenditur, & ampliatur ;  
Ita ut à Jurisdictione, & dependentia Ordina-  
riorum eximantur, & Priori Generali ejus-  
dem Ord. pro tempore existenti Curæ, &  
Superioritati subjectæ omninò sint.

BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Supplicatio.

§. I. **E**Xponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii  
moderni Prior, & Procurator Genera-  
les Fratrum Ordinis Servorum B. Mariæ Virgi-  
nis, quòd cum ipsi longa experientia cognove-  
rint nonnullas molestias, vexationesque, quas  
ejusdem Ordinis Tertiariæ tolerant, ab illis lo-  
corum Ordinariis, qui ejusmodi Tertiarias ad  
eorum dependentiam, seu superioritatem adigere  
volunt, exoriri, idque eidem Tertiariis animi  
perturbationem, & spiritus dispersionem, at-  
que prædicti Ordinis Superioribus non modicam  
inquietudinem parere, dicti Exponentes, quò  
similibus inordinationibus occurrant, Litteras  
Nostras sub plumbo desuper ad perpetuam rei  
memoriam anno Incarnationis Dominicæ 1725.  
quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno  
secundo expeditas, per quas inter alia Tertiariæ  
Ordinis Sancti Francisci à Jurisdictione, & de-  
pendentia Ordinariorum eximuntur, ad Tertia-

rias primò dicti Ordinis per Nos extendi sum-  
mopere desiderant, præsertim quia hunc Ordi-  
nem à fel. rec. Innocentio PP. VIII. Prædecessore  
Nostro ad participationem privilegiorum quatuor  
aliorum Ordinum Mendicantium admittam fuisse  
memoratur. Nobis propterea humiliter suppli-  
cari fecerunt, ut præmissis opportunè provide-  
re, & ut infra indulgere de benignitate Aposto-  
lica dignatemur.

§. 2. Nos igitur ipsos Priorem, & Procura-  
torem Generales specialibus favoribus, & gra-  
tiis prosequi volentes, & eorum singulares per-  
sonas à quibusvis excommunicationis, suspensio-  
nis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen-  
tentiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine  
quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo-  
modolibet innodatæ existunt, ad effectum præ-  
sentium tantum consequen. harum serie absolven-  
tes, & absolutas fore censentes, hujusmodi sup-  
plicationibus inclinati, Litteras Nostras prædi-  
ctas, per quas Tertiariæ secundo dicti Ordinis  
omnimodæ jurisdictioni, & regimini earum Mi-  
nistri Generalis subjiciuntur, ad Tertiarias primo-  
dicti Ordinis auctoritate Apostolica tenore præ-  
sentium perpetuò extendimus, & ampliamus ;  
ita ut illæ Prioris Generalis pro tempore existentis  
hujus Ordinis curæ, & superioritati subjectæ  
omninò sint.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Consti-  
tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec  
non quatenus opus sit primò dicti Ordinis etiam  
juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis  
firmitate alia roboratis statutis, & consuetudi-  
nibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris  
Apostolicis in contrarium præmissorum quomo-  
dolibet concessis, confirmatis, & innovatis.  
Quibus omnibus, & singulis illorum tenores  
præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis,  
ad de verbo ad verbum insertis habentes, illis  
alias in suo robore permanentis, ad præmissorum  
effectum hac vice dumtaxat specialiter, &  
expressè derogamus, cæterisque contrariis qui-  
buscumque. Datum Romæ apud S. Mariam  
Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti  
1726. Pontificatus nostri anno tertio.

F. Card. Oliverius.

In secundis verò perpetuis futuris temporibus  
locus Consultoris Sac. Rituum Congregatio-  
nis uni ex Professoribus ejusdem Ordinis de-  
cernitur, & ordinatur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**R**atio Justitiæ exigit, ut Religiosorum Viro-  
rum Ordines in Ecclesia Dei pie, sanctèque  
instituti, qui multos pro Religione labores con-  
tinuè sustinent, congruis honoribus, & gratiis  
decorentur.

§. I. Cum itaque, sicut dilectus filius moder-  
nus Prior Generalis Ordinis Fratrum Servorum  
B. Mariæ Virginis Nobis nuper exponi fecit,  
ipse, qui unus ex Consultoribus Congregatio-  
nis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E.  
Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ existit,  
locum fixum Consultoris hujusmodi, eidem suo  
Ordini assignari summopere desideret ; Nobis  
propterea humiliter supplicari fecit, ut in præ-  
missis opportunè providere, & ut infra, indul-  
gere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur erga prædictum Ordinem,  
quem in visceribus gerimus charitatis, aliquod

Extensio de  
qua in rubr.

Contrario-  
rum deroga-  
tio.

D. 8. Aug.  
1726. P. A.  
tertio.

XIV.

Exordium.

Supplicatio.



Decernit  
prout in  
nrbr.

Paternæ nostræ benevolentia monumentum ex-  
cere cupientes, ipsumque Priorem Generalem  
specialibus favoribus; & gratis profecti volen-  
tes, & à quibusvis excommunicationis, suspen-  
sionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen-  
tentis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine,  
quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo-  
modolibet innodatus existit, ad effectum præsen-  
tium tantum consequendum harum serie absol-  
ventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi  
supplicationibus inelinati, ut deinceps perpetuis  
futuris temporibus locus Consultoris prædictæ  
Congregationis Cardinalium, succedente illius  
pro tempore vacatione, uni ex memorati Ordinis  
professoribus concedi, & assignari debeat,  
auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus; & ordinamus.

Decretum  
roborans &  
irritans.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentis  
Litteras semper firmas, validas, & efficaces exi-  
stere, & fore, suosque plenarios, & integros ef-  
fectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spe-  
ctat, & pro tempore spectabit in omnibus, &  
per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præ-  
missis per quoscumque Judices Ordinarios, &  
Delegatos; etiam Causarum Palatii Apostolici  
Auditores, judicari, & definiti debere, ac irri-  
tum, & inane si secus super his à quoquam qua-  
vis auctoritate scienter, vel ignoranter conti-  
gerit attentari.

Derogatio  
contrariis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Consti-  
tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec  
non quatenus opus sit dicti Ordinis etiam jura-  
mento, confirmatione Apostolica, vel quavis fir-  
mitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,  
privilegiis quoque, indultis, & Litteris Aposto-  
licis in contrarium præmissorum quomodolibet  
concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus  
omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus  
pro plenè, & sufficienter expressis, ac de  
verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in  
suo robore permanens ad præmissorum effectum  
hac vice duntaxat specialiter, & expressè dero-  
gamus, ceterisque contrariis quibuscumque.  
Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem  
sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti 1726. Pon-  
tificatus Nostri Anno Tertio.

Die 8. Aug.  
1726. P. A.  
tertio.

F. Card. Oliverius.

XV.

CONSTITUTIO

De recta administratione Hospitalium, & Mon-  
tis pietatis Civitatis Cæsenæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam  
rei memoriam.

Commemo-  
rat suam pro  
Ecclesie Cæ-  
senate, tum  
pastoralem  
olim, tum, p.  
t. Pontifica-  
lem sollicitu-  
dinem.

§. I. Quotiescumque cogitamus (hoc autem  
sæpe contingit) nos Ecclesie Cæsenati  
sex & quadraginta ab hinc annis pastorali officio  
præfuisse; toties memoria repetimus regulas,  
instructiones, edicta, & synodales constitutiones,  
quibus illius episcopatus rebus, & præcipue lo-  
corum piorum administrationi pro nostri ingenii  
viribus providere curavimus. Postquam vero  
ineffabile Dei consilium, nullis exigentibus me-  
ritis nostris, in cathedra beati Petri Apostolo-  
rum principis sedere nos voluit, sæpenumero  
ad eandem dilectissimam olim sponfam nostram  
Ecclesiam Cæsenatensem oculos pontificiæ caritatis  
convertimus, ut aliquid nostræ pro ea sollicitu-  
dinis argumentum ostenderemus; dumque se no-

bis primo obtutu Seminarium Clericorum Secula-  
rium episcopatus obtulit, statim de illo amplifi-  
cando, novisque rebus augendo decrevimus,  
ut adolescentes, militiæ ecclesiasticæ nomen da-  
turi, in eo moribus & literis, quæ decet sacros  
ministros, commodius imbuantur.

§. 2. Quum vero nuper haud modica animi  
nostri perturbatione rursus nobis innoverit, quod  
ceteroquin oculis nostris olim adspeximus, atque  
hæc manibus contrectavimus, Xenodochia ni-  
mirum, sive Hospitalia, & Montem pietatis Cæ-  
senæ ob incuriam & culpam laicorum, non ea,  
qua decet cura & vigilantia gubernari; eorum  
reditus, in peregrinorum & pauperum benefi-  
cium convertendos, Dei timore postposito, dis-  
sipari; quæque pii eorumdem auctores Dei obse-  
quio & religioni destinaverant, jam dudum di-  
lapidari; nos huic malo remedium aliquod alla-  
turi, præsentem Constitutionem nostram edere  
decrevimus, duodecim capita complectentem, pro  
eorumdem Xenodochiorum, sive Hospitalium  
& Montis pietatis tutiori administratione im-  
posterum observanda, ne amplius ea, quæ peregri-  
nis & pauperibus Christi veterum Cæsenati-  
um pietas danda esse voluit, in alios usus,  
contra eorum mentem manifesta Dei offensione,  
transferantur. Capita vero, quæ diximus, huic  
nostræ Constitutioni inseri volumus, ut perpetuis  
futuris temporibus legi, neque ab ullo, ad  
quem pertinere videbuntur, ignorari unquam  
possint. Hæc autem sunt.

Hujus Consti-  
motiv. est  
deplorandus  
Hospitalium  
& Montis  
pietatis Cæ-  
senæ status.

PRO HOSPITALI SANCTISSIMI  
Crucifixi.

I. Piores, ad regimen Hospitalis sanctissimi  
Crucifixi deputati, perpetuis futuris temporibus  
sint decem tantum; horum quinque sint ex or-  
dine Ecclesiastico seculari: unus ex canonicis  
Ecclesie cathedralis decretorum doctor, qui Pri-  
micerii vocabulo utatur: duo alii sint ex numero  
Parochorum: ceteri duo ex numero simplicium  
Presbyterorum. Quinque reliqui, de more, sint  
ex laicis, Quinque vero illi Ecclesiastici ab Episcopo  
eligantur, ad nutum ejusdem Episcopi quan-  
docunque & quomodocunque ipsi placuerit,  
inde amovendi. Sed quinque reliqui ex ordine  
laicorum, de more, à publico & generali cætu  
consiliariorum civitatis eligantur.

Priorum nu-  
merus, or-  
dines & elec-  
tio.

II. In quocunque munere & officio, quod  
inter Piores ejusdem Hospitalis sanctissimi Cru-  
cifixi distribui contigerit, nunquam bini aut sin-  
guli tantum laici habeantur, sed unus ex Ec-  
clesiasticis, alter ex laicis.

Officiorum  
inter eos di-  
stributio.

III. Inter Ministros Hospitalis sanctissimi Cru-  
cifixi Rationarius seu Calculator & Director ejus  
redituum, sit semper extraneus, à solo Episcopo  
eligendus, cujus etiam nutu, ex officio suo  
removeri possit. Ad eundem Rationarium &  
Calculatorem pertineat examinare & recognoscere  
administrationes, quæ fiunt in cæteris locis  
piis civitatis: quæque propterea eam portionem  
in annum ejusdem Rationarii stipendium, de  
suo conferant, quam Episcopus ei tribuendam,  
& conferendam judicabit, omni recurſu & ap-  
pellatione remota.

Rationarii  
electio, Of-  
ficium & sti-  
pendium.

PRO HOSPITALI SANCTI  
TOBIÆ.

IV. Ex duodecim Prioribus, ad regimen Hos-  
pitalis sancti Tobie deputatis, perpetuis futuri-  
s temporibus sex sint ex ordine ecclesiastico  
seculari, nimirum duo ex canonicis Ecclesie ca-  
thedralis, duo ex Parochis, duo ex simplicibus

Priorum Or-  
do & elec-  
tio.

Pres.